



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.  
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In  
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

**Esparza Arteida, Martin de**  
**Lugduni, 1666**

XXII. Vtrum quælibet causa possit producere propria virtute, quemlibet  
indifferenter effectum, secundum rationem eius specificam?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

cap. 12. ad fin. & toto lib. 1. de ordine, necnon lib. 2. vsque ad med. docet luculenter res omnes, & singulas habere in se quasdam naturales suas leges, & quasdam appetitus suos determinatos fundatos in cuiusque rei virtute determinata, vt per ipsam, aut in ipsa aliquid fiat nihilque Deum facere contra eas leges, & appetitus, licet multa faciat supra illos. *Quia non potentia temeraria; sed sapientia virtute omnipotens est, vt dicit loco citato de Genesi. Quare in testimonio, quod obiicitur. To naturale sumitur non prout opponitur supernaturali. Sed prout opponitur contranaturali. Id quod apparet clarè ex principio eiusdem illius sententiæ; nihil contra naturam facit.* Supponitur ergo potius vt certa, quam impugnetur, vt falsa, ab Augustino assertio posita. Verum de tota ista re, deque mente Augustini circa ipsam videri multa vtiliter possunt quæst. illa 28. de Deo.

Ad 9. Eodem ferè modo respondetur, atque ad 3. nempe nullam esse in actibus beatificis perfectionem, aut formalitatem peculiarem correspondentem formaliter intellectui; & voluntati beati, quæ non sit communis aliquibus eiusdem actibus naturalibus ideoque omnem actiuitatem entitatiuè naturalem, seu identitatem realiter cum intellectu, & voluntate beati, quæ supernaturaliter exercetur in actibus beatificis, reduci posse connaturaliter in actum secundum per actus aliquos naturales; ac per consequens fieri connaturaliter minimè posse, vt per nullos prorsus actus reducatur in actum secundum, nisi forte per accidens, vt dictum est. Eadem est suo modo ratio de actiuitate ad actus alios supernaturales.

QVÆSTIO XXII.

*Vtrum qualibet causa possit diuinitus producere propria virtute quemlibet indifferenter effectum secundum rationem eius specificam?*

Videtur posse. 1. Quia Augustinus cillo 27. lib. 9. de Genesi. ad litt. prop. med. cum prætulisset *elementa mundi habere definitam vim qualitatemque suam; quid vnumquodque valeat, vel non valeat quid, de quo fieri possit, vel non possit*; idque exemplis idoneis exposuisset: *Super hunc autem*, subiungit, *motum, cursumque rerum naturalem, potestas creatoris habet apud se, posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi feminales rationes habent.* Ergo quoad ea, quæ potestas creatoris apud se habet, vt de his rebus omnibus naturalibus facere possit, eadem res naturales definitam vim qualitatemque suam non habent vllam, sed indefinitè, ac prorsus illimitatè quiduis de quouis, qualibet species de qualibet specie fieri diuinitus potest. Fieri verò de quouis, & de qualibet potest in genere causæ efficientis, de quo videlicet solo genere sermo, & exempla immediatè præcesserant circa naturalia, immediatè subsequuntur circa supernaturalia.

2. Eandem vniuersalitatem cuiuslibet causæ ad rationem specificam cuiuslibet effectus demonstrant exempla, quæ idem. Augustinus producit ibidem ex sacris litteris; nempe ex Num. 17. de ligno arido, & perpolitio, florente nihilominus, & gignente fructus repente; ex Genesi 21. defecmina per iuuentam sterili, & patiente in senectute; ex Num. 22. de Asina loquente. Nullus nimirum effectus remotior esse potest secundum speciem suam ab vlla causa, quam sint prædicti effectus à prædictis causis. Ergo quilibet

bet effectum potest diuinitus prouenire secundum suam rationem specificam indiscriminatim à qualibet causa.

3. Calor qui se solo potest procedere calorem, coniunctus cum igne, cuius ex sua natura est instrumentum, potest producere ignem formaliter secundum rationem specificam eius; idest potest, quidquid potest ipse ignis; idemque contingit in quibusvis aliis eiusmodi accidentibus. Qualibet enim accidentia coniuncta cum iis substantiis, quarum instrumenta sunt ex sua natura, possunt producere secundum rationem specificam eos omnes effectus, quos possunt producere eadem substantiæ. Quia videlicet quodlibet instrumentum potest in suo genere, quidquid potest in suo principali cuius instrumentum est. Omnes autem Causæ creatæ ex sua natura sunt instrumenta potentie Dei, quæ potest omnia, & secundum omnia prædicata, omnemque cuiusvis generis perfectionem. Ergo omnes causæ creatæ coniunctæ cum omnipotentia Dei possunt producere omnes, & quosvis indiscriminatim effectus secundum omnia, & qualibet eorum prædicata.

4. Actiuitas hominis entitatiuè naturalis potest diuinitus eleuata producere virtute sua actus supernaturales secundum rationem specificam vltimam ipsorum: secundum quam videlicet imputantur illi ad meritum, vt vero ipsorum principio. Nulla autem ratio est, vt alicui effectus supernaturales dicantur diuinitus producibiles secundum speciem suam ab aliqua causa entitatiuè naturali, & non etiam quilibet à qualibet. Imò adest ratio paritatis in oppositum, haud obscura; quandoquidem nulla causa entitatiuè naturalis secundum se præcisè considerata continet in se effectum vllum supernaturalem, quoad rationem eius specificam vltimam; Omnipotentia verò diuina est æque sufficiens quantum est ex se ad eleuandum, ac iuuandum quamlibet causam creatam respectu cuiuslibet effectus, & rationis cuiuslibet specificæ, ac differentialis, atque ad supplendum quemlibet cuiuslibet causæ creatæ defectum, seu insufficienciam.

5. Decet magis amplitudinem dominij, & omnipotentie Diuinæ posse vt virtute propria cuiuslibet causæ creatæ pro qualibet specie effectuum; & similiter decet obedientiam, ac subordinationem creaturarum respectu creatoris esse vniuersalem penitusque illimitatam; nec potest euidenter ostendi vllum, & obedientiam eiusmodi vniuersalem repugnare. Deo autem adscribi debent decentissima quæque, neque sunt ei neganda, absque euidenti ratione repugnantia quæ talia apparent ex terminis.

Art. 1. Respondetur. Dictum est in quæst. præcedenti non esse possibilem vllam virtutem actiuam, quæ non possit connaturaliter reduci in actum secundum in aliquo suo effectum. Esset autem possibilis talis virtus actiua, immò esset talis omnis actiuitas creatura, tum existens de facto, tum absolute possibilis; si qualibet causa posset, vel etiam diuinitus producere, atque attingere immediatè, propria virtute, quemlibet effectum secundum rationem eius specificam. Manifestum namque est nullam causam creatam existere de facto, cuius virtus actiua possit connaturaliter exercere, & reduci in actum secundum circa qualibet species effectuum. Experientia enim constat vnamquamque causam habere ex sua natura Sphæram determinatam actiuitatis, certis quibusdam effectuum speciebus, aut vna tantum specie circumclusam, ultra quam, saltem connaturaliter, progredi agendo nequaquam possit. Quia neque ex frigore calor, ex siccitate humiditas, ex materiali spirituale, nec ( aqua sunt exempla illa nuper innuata Augustini) ex tritico faba, vel ex faba triticum;

ex pecore homo; vel ex homine pecus provenire naturaliter possunt. Neque verò dici potest rationem differentialem specificam cuiusvis ex his effectibus contineri virtualiter, seu æquivalenter in ratione differentiali specifica cuiusvis alterius ex iisdem effectibus; cum rationes differentiales eorum sint adæquate inter se diuersæ. Quapropter exercita actiuitate alicuius causæ circa rationem specificam alicuius sui effectus connaturalis; non propterea redigeretur in actum secundum, vel etiam æquivalenter, actiuitas eiusdem causæ circa quosvis alios indiscriminatum effectus secundum rationem specificam eorum. Igitur nec de potentia Dei absoluta fieri potest, vt qualibet causa producat propria sua virtute quemlibet effectum absolute possibilem secundum rationem eius specificam.

Art. 2. Manifestatur hoc ipsum alia præterea ratione. Omnes nimirum causæ, omnesque effectus creati, tam coniunctim quam seorsim considerati participant finitè tantum, ac limitatè bonitatem, perfectionemque diuinam, nec eam aliter participare possunt. Quia Deus nullam rem, nullamque rerum collectionem facere potest æqualem sibi in bonitate. Vnde cuiuslibet rei creatæ, & cuiuslibet determinatæ rerum creatarum collectioni inest necessario defectus alicuius perfectionis specificæ communicabilis à Deo alteri rei, & collectioni creatæ. Nulla igitur causa creatæ, nullæque collectio causarum creatarum, potest vel etiam de potentia Dei absoluta producere, atque immediate attingere propria virtute quemlibet indiscriminatum effectum secundum rationem eius specificam. Patet consequentia, quia impossibile est, etiam de potentia Dei absoluta, inde provenire, seu partialiter, seu totaliter speciem aliquam perfectionis, vbi est totalis defectus perfectionis eiusdem. Quod, præterquam est ex terminis satis manifestum; confirmari potest ex D. Thoma; dicente quæst. 6. de potentia, quæ est de miraculis, art. 1. ad 5. *Mortuum viuificare* (eadem est ratio de qualibet re priuata aliqua perfectione, & nihilominus dante alteri actiuitate, & influxu suo eandem perfectionem) *includit in se contradictionem, nec etiam de potentia absoluta fieri potest.* Nulla igitur potentia fieri potest, vt qualibet causa creatæ propria sua virtute attingat immediate, & formaliter vltimo pacto quemlibet indiscriminatum effectum secundum eius rationem specificam.

Art. 1. Ad 1. Augustinus solum dicit Deum posse facere de omnibus his rebus aliud, quam earum, quasi feminales rationes habent, seu quod ex eis provenit sicut ex semine germen. De qua re nullus vnquam Catholicus dubitavit. Non autem superaddit vltius Augustinus: Deum posse facere quidvis aliud de re qualibet, quod est punctum vnicuius præsentis controversiæ. Immo supponit oppositum haud obscure illo ipso in loco dum subiungit: *Et hoc de vnaquaque re in suo tempore facit, quod ante in ea facit, vt possit.* Et iterum: *neque enim, vel ille crearet, quod ex eis fieri non posse præfigeret, quoniam se ipso non est nec ipse potentior.* Mens igitur Augustini est posse de rebus naturalibus fieri, per potentiam Dei absolutam, ipsis etiam concurrentibus, aliquid vltra id, quod naturaliter possunt, atque ideo vltra definitam naturaliter vim, qualitatemque ipsarum; non tamen omnino indefinitè, illimitatè, & vltra quam ex eis fieri posse Deus ipse præfixisset.

Art. 2. Verum posteriores isti limites, ac termini virtutis creatæ, quatenus supernaturaliter, ac obediencialiter operantes non ita innotescunt humane rationi, sicut innotescunt termini, ac limites priores virtutis naturalis, quatenus naturaliter operantis. Quia ratione naturali sunt imperuia ex se superna-

turalia omnia; peruia verò, quæ naturalia sunt. Inde autem provenit, vt termini, ac limites illi priores virtutis obediencialis fortiantur respectu nostri apparentiam quandam illimitationis omnimodæ; quatenus, quod non percipitur, nec comprehenditur visu, aut mente, confunditur quodammodo, per primam apprehensionem, cum eo, quod re ipsa non datur. Propter magnam nimirum, circa vtrumque, vni-formitatem animi neutrum videntis. Quod fortè inuenit attentiori meditatione diligentius considerare ad vitandas plures delusiones intellectus nostri circa quæstiones eiusmodi possibilitatum & impossibilitatum de potentia absoluta.

Ad 2. Exempla illa sunt de rebus retinentibus participationem virtutis, & perfectionis actiue, quæ connaturaliter producere possent eos effectus. Nec enim proponitur femina, vel asina florum fecunda, & fructuum, nec lignum pariens illum, vel loquens. Qui sanè effectus essent magis distantes ab iis causis. Sed proponitur loquens, seu quasi loquens Asina, cui inest natia virtus edendi vitaliter sonos in aëre, iisque significandi naturaliter internas aestimationes obiectorum. Quod est genus eiusdem quasi loquutionis. Pariens verò proponitur femina, quæ vtrumque sterilis accidentaliter, retinet nihilominus, quoad substantiam, virtutem generatiuam. Proponitur demum florens, & fructificans lignum, quod ex arbore, cuius est veluti cadaver, retinet plura accidentia particularia, & magnam communionem naturæ. Nempe ligna sunt diuersa specie pro diuersitate specifica suarum arborum, eisdemque sunt valde affinia, quoad speciem naturæ, & virtutis. Nihil igitur habetur ex illis exemplis pro vniuersali vsu cuiusvis causæ, & virtutis actiue ad quaslibet indiscriminatum species effectuum.

Ad 3. Non est verum, quoduis instrumentum posse in suo genere, quod potest in suo, causa principalis. Nam pictor simul, & statuarius ex, gr. non potest vti iisdem instrumentis pro vtraque arte; immò neque pro omnibus partibus, seu statuæ, seu picturæ. Deus autem est artifex vniuersalis, & illimitatus; cum causæ creatæ sint instrumenta particularia, & valde limitata. Vnde licet singulæ causæ creatæ possint cooperari Deo, per propriam virtutem quoad productionem eorum effectuum, quorum perfectionem specificam adæquatè, vel inadæquatè participant; non tamen possunt cooperari quoad eos effectus, quorum perfectio specifica est adæquatè diuersa à perfectione specifica ipsarum, seu vniuscuiusque ex illis. At calor participat inadæquatè perfectionem specificam propriam sui ignis, quæ sola est communicabilis efficienter ab vnoquoque igne aliis ignibus, & propterea potest producere illos inadæquatè virtute propria secundum rationem specificam eorum; idemque cernitur in similibus aliarum substantiarum similiter limitatarum proprietatibus accidentalibus, ac instrumentariis. Manifestum igitur est paritatem non tenere.

Art. 1. ad 4. Ratio specifica vltima actuum supernaturalium coalescit ex duabus differentiis non subalternis inuicem seu non inuicem subordinatis, neque mutuo, neque non mutuo. Vitalitas namque propria visionis beatæ est ipsi communis cum actibus omnibus naturalibus, quibus supernaturalitas non est communis. Supernaturalitas verò propria eiusdem visionis est ipsi communis cum habitibus supernaturalibus, & cum vniione hypostatica, quibus non est communis vitalitas: At proinde neutra formalitas est subordinata alteri, sed vtralibet, respectu alterius secundum se, se habet disparatè. Idem appareret in cæteris omnibus formalitatibus specificis, tam visionis Dei, quam cæterorum quorumvis actuum superna-

supernaturalium. Nulla namque in eis reperitur formalitas indiuisibilis metaphysicè, quæ se sola sit tota ratio differentialis, quæque ex conceptu suo sit intrinsecè subordinata cæteris omnibus cuiusque actus prædicatis; seu formalitatibus; sicut rationale subordinatur animali, animal viuenti, &c.

Art. 2. Hinc fit, vt intellectus, & voluntas hominis, licet non possint propria virtute concurrere formaliter, nec adæquatè, nec inadæquatè ad supernaturalitatem actuum supernaturalium, possint nihilominus concurrere inadæquatè ad rationem specificam vltimam ipsorum, quatenus in ea includuntur prædicata aliqua communia iis actibus cum actibus naturalibus circa eadem obiecta. Nempe cætera prædicata actus meritorij tribuuntur voluntari formaliter non vt principio effectiuo eorum, sed vt electiuo tantum. Patet autem non reperiri similiter in qualibet specie infima quorumlibet indiscriminatim effectuum prædicata formaliter correspondentia cuilibet causæ, & communia effectibus connaturaliter producibilibus per ipsam. Quapropter licet Deus possit, quantum est ex se, iuuare ad quamlibet speciem effectuum; non tamen qualibet causa potest iuuari à Deo ad quamlibet speciem effectuum. Quia non qualibet causa potest agere aliquid per se ipsam circa quamlibet speciem effectuum ob rationem superius ponderatam; atque de conceptu causæ iuuabilis per aliam causam est, vt aliquid agat per se ipsam, iuxta celebrem sententiam Augustini ad illud Psalm. 68. *Adiuua nos Deus: Qui adiuuatur aliquid agit per se ipsum.* In quem scopum videri possunt plura ex eodem August. quæstione 18. de gratia sub initium.

Ad 5. Non minus interest Dei, atque omnipotentia, & dominij Diuini repugnantia impossibilitatem, quam possibilitatem non repugnantium. Quia vtramque fundat, & continet in se æquè essentialiter, & vtralibet deficiente æqualiter eodemque modo deficeret Deus, vt ostensum est quæst. 33. de Deo. Quapropter rationes inde desumptæ, absque alio alimunde adminiculo, pro affirmanda determinatè, vel neganda possibilitate, aut impossibilitate cuiusquam rei, sunt prorsus inanes; nec plus aut minus ad negandum, quam ad affirmandum requiruntur, ex auctoritate, vel ex ratione, vel ex vtraque. Deinde data est in præsentis ratio negandi satis clara, ac manifesta.

### QVÆSTIO XXIII.

*Vtrum causa impotens cooperari secundum speciem effectus possit nihilominus cooperari secundum genus.*

Videtur posse. 1. Quia causa similis effectui secundum genus, tam est idonea, vt influat secundum genus, quam vt influat secundum speciem, quæ est similis secundum speciem. Omnis nimirum causa est assimilatiua effectus respectu sui, & eareus est operatiua, quatenus est inductiua similitudinis sui, vt traditur 7. met. Contingit autem aliquam causam esse similem alicui effectui secundum genus, simulque dissimilem secundum speciem. Fieri ergo potest, vt aliqua causa sit idonea ad influendum secundum genus; licet sit inepta ad influxum secundum speciem effectuum aliquorum.

2. Contingit de facto aliquam causam influere in aliquos effectus secundum genus, simulque non influere secundum speciem. Quia Deus influit ad effectus causarum secundum rationem rationem entis,

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

& Cælum influit ad effectus istarum causarum inferiorum secundum rationem corporis sublunaris, vt docent D. Thom. de potentia quæst. 3. art. 7. cap. versus finem, & alij communiter. Ergo fieri potest, vt virtus causatiua alicuius effectus, secundum genus eius, reperiatur separata à virtute causandi eundem effectum secundum speciem eius. Patet consequentia; quia ex separabilitate influxuum in actu secundo rectè arguitur similis, ac proportionalis separabilitas quoad virtutes influendi in actu primo; quandoquidem actus primus ordinatur ad actum secundum, estque propter ipsum cum proportionem.

3. Potest aliquis effectus procedere ab aliqua causa agente secundum rationem suam genericam, licet idem procedere non possit ab eadem, vt agente secundum suam rationem specificam. Sic enim procedit cognitio abstractiua rationis genericæ à suo obiecto motiuo. Poterit ergo similiter aliqua causa agere in aliquem effectum secundum rationem eius genericam; licet non possit agere in eundem secundum rationem specificam eiusdem.

4. Formæ substantiales inesse complementi vt sic & formæ accidentales inesse qualitatibus, vt sic possunt, saltem de potentia absoluta, communicari subiectis, quibus communicari nullatenus possunt secundum suos effectus formales específicos; & proprios. In hoc enim nulla apparet repugnantia, proptereaque communiter admititur. Eadem autem est proportionalis ratio de causis efficientibus, & effectibus atque de subiectis, & formis. Similiter enim inuicem ordinantur.

Respondetur. Impossibile est aliquem causam esse similem alicui effectui, eumque in se continere, ac producere secundum rationem specificam talis effectus adæquatè sumptam; simulque non esse similem, non continere, non producere secundum omnem rationem genericam eiusdem. Quia ratio specifica cuiusque rei ex conceptu suo est essentialiter connexa cum omni sua ratione generica, & eidem subordinatur essentialiter, ideoque est de eius essentia inseparabilitas realis ab eadem tum in se; tum in sua causa. Impossibile igitur est causam adæquatam effectus secundum totam eius rationem specificam non esse simul causam adæquatam eiusdem secundum omnem rationem genericam ipsius. Impossibile rursus est, vt alibi demonstratum est, dari simul in actu secundo duas causas efficiètes adæquatas, vel alteram adæquatam, & alteram inadæquatam eiusdem effectus secundum eandem rationem. Impossibile igitur est causam, quæ nec adæquatè, nec inadæquatè producere potest aliquem effectum secundum perfectionem eius specificam; posse nihilominus producere eundem secundum rationem seu perfectionem aliquam genericam ipsius. Patet hæc posterior consequentia; Quia effectus productus à tali causa haberet aliam causam adæquatam respectu sui secundum rationem specificam; adeoque haberet duas causas adæquatas, vel saltem alteram adæquatam, & alteram inadæquatam secundum aliquam rationem genericam ipsius, vt apparet manifestè ex præmissis.

Ad 1. Omnis quidem virtus actiua est assimilatiua effectus respectu sui secundum formalitatem contentam in eadem virtute; non tamen omne simile est actiuum sui similis secundum omnem rationem, secundum quam inuicem assimilantur. Quod patet inter alia in Deo, cui secundum plura prædicata sunt similes plures causæ creatæ, pluresque earum effectus; & tamen, quia secundum suam rationem differentialem est omnino improducibilis Deus, non habet producibilitatem vllam secundum rationes communes. Hoc igitur modo effectus creatus omnino improducibilis ab aliqua causa secundum suam

E e 2 rationem